



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Capvt VI. Tria solemnia vota emittit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**

34 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
annum ita sustinuit, vt cum candido habi-  
tu candidos quoque mores coniungeret, &  
sedulam in omnibus Ordinis functionibus  
suarumque partium officijs operam collo-  
caret, quantum ætas illa tenera patiebatur:  
quin & supra ætatem illam puerilem plura  
agere deprehendi potuit.

## C A P V T V I.

*Tria solemnia vota emittit.*

**G**RAVITER profectò & sanctè sanc-  
tum esse nemo bonus ambigit, ne quis  
ad solemnem trium votorum emissionem  
admittatur, qui integrum prius annum  
Nouitialis tyrocinijs non exegerit, in quo  
& Ordinem cum suis oneribus, & humeros  
suos cum viribus experiri, & diligenti cogi-  
tatu omnia præmeditari, ac instructus præ-  
scire valeat: vt ita quid voueat, quantisque  
se vinculis adstringat, probè prius explora-  
tum habeat, ne cæcus in pedicas seipsum  
conijciat, aut in foveam præcipitet; cum in  
hac re momentum omnium maximum sit  
positum, & cardo præsentis ac æternæ vitæ  
vertatur. Secundùm hoc igitur pius & Deo  
iam antè deuotus Iuuenis, omnia Ordinis  
& Monasterij onera, suarumque virium va-  
lorem non perfunctoriè sed studiosè peri-  
clitatus,



clitatus, in omnibus nil nisi suaue Domini sui iugum & onus leue reperit; quod alioqui multis spiritu mundano ac carnali actis importabile pondus videri assolet: quamobrem eius anni peracto decursu laudabiliter & fructuosè, precibus, vt ad solemnem trium votorum nuncupationem admitteretur, supplex instabat; & annuente suprà nominato Præsule Martino cum frequenti Conuentu, ipse Deo immortalis, à quo omne quod erat acceperat, holocaustum gratissimum, seipsum scilicet totum, in frequenti Angelorum hominumque corona ad augustum maioris templi Altare obtulit, æternumque Deo se auctoratum mancipauit; non sine singulari animi lætitia, inflammata cordis deuotione, gaudens & in mentis iubilo vbertim exultans, illum diem longè exoptatissimum parem sibi cum Angelicis spiritibus offerre conditionem: vt quemadmodum illæ beatę mentes ab omni labe secretæ Deo æternum & suauiissimum concinunt melos in patria; ita ipse in Monasterio deuota oratione, dulcibus Hymnis & Psalmis, inflammata lectione, melliflua & ignita contemplatione eundem laudare, & quàm suaui sit degustare possit cum magno spiritus incendio & profectu.